

prævisa credimus, quia petitionem restringunt ad quid minimum, dicunt, quod peti potest, & quod innegabile illis videtur, nempe quod canonizetur primum instans Conceptionis Mariæ eo ferme modo, quo canonizatur instans mortis servorum Dei. Non credimus viros doctos, & pios ita hallucinatos fuisse, ut credant esse, quod petunt, quid minimum; quando, si obtinebitur, esset quid maximum consequi possent. Illos utpote in rebus Theologicis sicut is peritos non latet, iudicium Sedis Apostolicæ in canonizationibus esse irrefragabile, & unum e maximis Pontificiæ auctoritatis argumentis. Non latet, inquam, quod qui negat Sanctum rite canonizatum esse Sanctum, inveniendus esset aliqua censura; quia sicut de fide est, Clementem XII. canonicè electum esse verum Pontificem, successorem Petri, Vicarium Christi, ita juxta non paucos Theologos de fide est, Sanctum Ignatium, exempli causa, rite canonizatum esse Sanctum. Quando ergo petitur, Sedem Apostolicam canonizare primum instans Conceptionis Mariæ, petitur iudicium irrefragabile super hoc Mysterio, cui contradicere nefas erit. Sicut ergo, ut ex probationibus jam adductis, non est necessaria, nec expediens definitio, ita nec canonizatio: in idem fere redeunt istæ duæ petitiones, quamvis proponantur, ut quid diversum.

Sed ut scrupulum omnem libellatori eximamus, petitionis consilium aperiemus. Multi Theologi rem esse negant Catholicæ fidei consecrationem Sanctorum; sed tamen certam iidem sustinent infra fidem: quam sententiam his verbis efferre solent: sive physice, sive metaphysice Ecclesia possit errare, cum Divos consecrat; certum est tamen nunquam erraturam: nec enim Deum Ecclesiæ parentem id aliquando permissuram. Hoc est minus profecto, quam fide certam existimare consecrationem Sanctorum: sed ei tamen est proximum. Ut ergo saltem impetraremus, quod Theologi liberiores haud gravate concedunt, petitioni additum est, ut canonizetur primum instans Conceptionis Mariæ eo ferme modo, quo canonizatur instans mortis servorum Dei. Petimus ergo definitionem hujusmodi in Conceptionis negotio, Ecclesiam